



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm IX. Ex tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](#)

iniuste spoliatus fuit, restitui ad illud debet, vna cum fructibus ab iniquo possessore perceptis: quin & ijs, quos ipsem percepisset, nisi iniuste spoliatus fuisset, ita ut per omnia indemnus seruetur, vti habetur in c. grauis, 11. de restit. spoliator. & reg. 79. ff. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 4. in fine,

NO T A N D V M III. Si spoliatus seu deiectus à beneficio, simul iudicio possessorio, & petitorio agat, tum iudex de vtroque inquirere debet; videlicet, utrum per vim spoliatus fuerit, & utrum ei ius in beneficio competit, vti hic notat Gl. ver. electus, & habetur etiam in c. cùm dilectus, 5. de causa possess. & propriet. Alioquin vero, si deiectus tantum possessorio agat, sive restitui se postulet, non potest ei obici vitium canonice institutionis: sed ante omnia restitui debet, & postea quæstio agitari de proprietate iuris, seu titulo beneficij, iuxta c. in literis, 5. de restit. spoliat.

CAPITVLVM IX.

Ex tua.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis obtinuerat à Papa Alex. III. facultatem dispensandi cum Clericis, filiis sacerdotum (legitimis) vt possent retinere ecclesias, quas eorum patres immediatè ante illos possederunt. Sed postea quidam clerici contra sacerdotum filios ab eodem Pontifice literas impetrarunt ad quosdā Iudices, quibus mandabatur, si constaret illorum patres immediatè ante Ecclesias possedisse, filii remoueantur, & Clerici, qui literas impetrarunt, instituantur. Verum Alexander postea de tota causa plenè edoctus, rescripsit Archiepiscopo, si ipse priorum literarum suarum vigore cum quibusdam sacerdotum filiis dispensarat, vt posterioribus literis tāquam subreptitijs nihil moueatur. Addit deinde, sacris canonibus repugnare, quod beneficia Ecclesiastica à laicis, sine Episcopi auctoritate conferan-

tur: quare si qui Clerici ita instituti sint, remoueri debeant.

S Y M M A R I V M.

1. Literæ papales disponentes de instituendo impetrante in beneficio, amoto possessore, subreptitijs sunt, & executione non mandanda; si in ijs mentio non fiat dispensationis ab Ordinario factæ.
2. Laici non possunt beneficia conferre, aut beneficiatos instituere.

NO T A N D V M I. Literæ Papales, quibus iubetur, vt impetrans in beneficio instituatur, amoto possessore tanquam viarios intruso, subreptitijs sunt, & executione non mandanda, si in ijs mentio non fiat dispensationis ab Ordinario factæ; saltem in ijs casibus, quibus dispensandi facultas ei competit.

NO T A N D V M II. Laici non possunt beneficia conferre, aut beneficiatos instituere. Tametsi enim, si Ecclesiae patroni sint, Clericos præsentare possint ad beneficia, non tamen ipsi eos instituant, sed ordinarius collator, videlicet Episcopus, aliusque Prælatus,

CAPITVLVM X.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si notorium est, quod patres Clericorum illegitimè natorum in aliqua ecclesia personatus possederint, absque testium auditio, aliisque iudiciorio processu, filii ex eadem ecclesia amoueri debent.

S Y M M A R I V M.

In causa publicè notoria non est necesse testes producere, aut ordinem iudiciorum obseruare, sed tamen proponi seu allegari debet factum esse notorium.

NO T A N D V M Vn. In causa publicè notoria necesse non est testes producere, aut ordinem iudiciorum obseruare. Ita etiam habetur in c. de manifesta, 17. cauila 2. q. 1. Necesse tamen est, vt proponatur, seu allegetur factum notorium esse, vt appareat, inqui-